



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Cur monachi passim apud malos ludibrio habeantur. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

D. IOANNIS IVSTI,  
**LANSBERGII,**  
**CARTHUSIANI DE VERITATE,**

ANTIQUITATE, INCREMENTO, HABITU, VOTIS, CAEREMONIJS & EXERCITIJS MONASTICÆ RELIGIONIS: DE CAUSIS EIUS DEFORMATIONIS PER QUOSNAM ITEM SOLOSEADEM IN MELIUS REFORMARI DEBEAT, DE EUANGELIÒ, QUODNAM ILLUD SIT QUOD HODIE QUIDAM ADEÒ IACTITANT, DE EIUSDEM CONCIONATORIBUS: DE OPERIBUS DENIQUE BONIS AN VIDELICET EA AD SALUTEM NECESSARIO REQUIRANTUR, Dialogus Christianus, pius & elegans inter Georgium militem Vlmensem, & Ioannem monachum. Ex idiomate Germanico in Latinum transfusus.

*Cur monachi passim apud malos ludibrio habeantur.*

Cap. I.

° Georgius Miles.

**E**quidem Aeris intemperiem mirari iam desino. Nihil sane prosperum hodie habebimus: siquidem monachi foras prodeunt. Heus lupo, lupo, unde nobis lupus iste prodit? heus tu siste gradum: Monache, monache habesne licentiam nobiscum colloquendi? Cur non respondes? O vos miseros cucullatos histriones: quamdiu in hac vestra stoliditate velut mancipia quædam obstinati perseverabitis? Cur non potius libertati Evangelicæ vos traditis, sicut fecimus & nos? **IOANNES MONACHVS.** Ipsi quidem non Evangelio, sed pseudangelio vos dedidistis, quod Christus neq; docuit, neq; tradidit vobis: sed quotquot huic sectæ addicti estis, ipsi vobis instituitis. Evangelium vestrum permittit irridere, subsannare, criminari alios & cætera, cuiusmodi sanè Evangelium Sancti nunquam nouerunt: neque ego id Evangelij loco habeo. Sancta Ecclesia Catholica ante annos mille quingentos Evangelium à Christo traditum habuit, quod nos ad humilitatem & mansuetudinem cordis hortatur. **MILES.** Itane loquendi habes copiam? Putabam tibi seruandum silentium. Cur non statim respondisti? **MONACHVS.** Nisi moleste laturus es, huius rei rationem reddam. **MIL.** Dic libere, permittitur tibi. **MONACHVS.** Animo attendebam dictum à Salomonis, *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis* **MILES.** Planè lupus es. **MONACHVS.** Licet mihi bona venia tua talionem reddere? **MIL.** Maximè. **MONACHVS.** Quandoquidem tua pace licet, dicam & ipse quod sentio. Mihi sanè tu tuique similes lupi esse videmini. **MILES.** Quid ita? **MONACHVS.** Namque prædas agitis, excoriatis, affligitis & diuexatis pauperes quibuscunque potestis modis. Quid vero causæ est, cur nos monachi lupi dicamur, quâdo hereditaria bona nostra, atque adeò facultates omnes quas vel habuimus, vel habere potu-

Matt. 11.

Prover. 16.

Lupi reuera quinam hodie sint.

iffimus



DE MONASTERIIS ET MONACHIS DIAL.

33  
Mat 19

illius Dei causa ex Christi institutione abieciimus, ne cuiquam quicquam auferimus, nisi quod ex animi beneuolentia vltro nobis offertur. Ad hæc à vobis & cæteris huius planè carnalis, pseudangelicæ Lutheranæ persuasione sectatoribus deridemur, persecutiones patimur, atque tum pace, tum ijs que ad victum pertinent periclitamur, neque secus hodie nobis inter vos vsu uenit atque olim Apostolis, cum quibus etiam nos dicere possumus: *Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes estis: Nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles, nos autem ignobiles. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Maledicimur & benedicimur: persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium perisema vsque adhuc. Atqui consolatur nos causa ob quam ista patimur: accedente etiam eo Apostolica illa consolatione, *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Mali autem homines & seductores proficient in peius errantes & in errorem mittentes. **MILES.** Putas ne persequi vos quæquã aut irridere Christi causa? Minime verò: sed cur in ridiculo sitis, isthæc ratio est, quod monachi estis. **MONACHVS.** Age dic mihi, quid efficit monachum, cucullus ne an vita? **MILES.** Vita nimirum. **MONA.** Sequitur ergo, ob vitã monasticã nos derideri. **MILES.** Sit ita. **MONACHVS.** Quæro te, quid aliud est esse monachum, aut vitam agere monasticam, quã propriarum facultatum expoliatione, carnalium desideriorum profligatione, animi & corporis castitate, sui abnegatione, & erga superiores obedientia ad diuinæ charitatis virtutumq; omnium perfectionem obtinendam niti atque contendere? Quam sane Christus ipse consuluit, & est vita omnium cõsensu pia ac beata: quod negare nullus potest. **MILES.** Hæc igitur est vita monastica? **MONACHVS.** Sic est. **MILES.** Pauci ergo sunt monachi. **MONACHVS.** Siue pauci sint hodie, siue multi, verendum profectò est monachos illos qui excusso cucullo institutum monasticum deseruerunt, nunquam eo conuicti uoluisse, vt veri essent monachi. Talis enim vt sis monachus, labore certè opus est. Vbi igitur huiusmodi institutum retinamus, & tamen à vobis eo nomine irridemur aut persecutiones patimur quod monachi simus, nimirum non alia ex causa vobis ludibrio sumus, quam quod piam ducamus vitam. Eiusmodi autem ludibria libenter perpeti, Dei causa perpeti. Passim quidem historię commemorant bonos à malis probra, fannas, ignominiam & contumelias pertulisse: nusquam autem literis proditum est malos à bonis dedecore & contumelijs affectos esse. Iam si serui illius sumus, qui in terris degens etiam à suis derisus est, id est Christi Iesu, qui non sine graui contumelia olim dictus est homo vorator, vini potator, peccatorum & publicanorum amicus, Samaritanus, in furiam versus, & damnorum habens, parum scilicet est harum comparatione blasphemiarum atque contumeliarum: quicquid nobis hodie tanquam eius ministris & seruatoribus irrogatur. Satis enim abundè iam ante ab ipso præmoniti sumus nec si: piissima consolatione quod talia pateremur, dum ait: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt si sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius.* Si patrem familias Beelzebub vocauerit: **Ioan. 13.**

Monachū reuera quænam efficiant.

Defectionis professionis monasticæ causa quæ.

Hebr. 11.

Matth. 11.  
Lucæ 7.  
Ioan. 8. 10.  
Marc. 3.

Matth. 10.

Ioan. 13.





quāto magis domesticos eius? Item: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequuntur. Ex quibus id potest perspicuè intelligi eos lupos suapte malitia effici, qui alios persequantur, non qui persecutionem sustineant. Qui enim persecutionibus infestantur, eos oues rectius, quam lupos dixeris. *MILES*. Hac ex causa lupos vos appellari conuenit, quod ut Christus ait, vestimentis ouium recti cum sitis, intus estis lupi rapaces. *MONACH*. Quibus scriptis conuinci potest ea Christi verba ad nos pertinere quæ quidem ipsum de Pharisæis dixisse constat, non ita tamen, ut eorum damnaret vitæ institutum, (quod utique bonum erat, & pios multos complectebatur) sed ut hypocrisin retunderet, qua ex ijs quidam laborabant, sicut & in omni vitæ genere eo vitio quidam decinentur: quando nonnullos fere ubique reperire licet, qui vitæ sanctæ speciem quandam præ se ferant tantum, ut humanam capient gloriolam quandam vel existimationem, aut alterius temporalis commodi gratia, cuius farinae sunt, qui Deum integro corde non querunt sed sese potius spectant, in suisq; actionibus sinistra quadam intentione ducuntur. Quicquid enim agunt, non ex Dei, sed priuato amore proficiscitur. Tales sunt in primis patriarcha vester Lutherus deinde fallacissimac seductores Apostoli eius, qui dissensiones & offendicula faciunt, & per dulces sermones falsamq; diuinorum scriptorum interpretationem mundū euertunt atque seducunt: à quibus ut caueamus nobis, Apostolus nos commonet. Et Christus ipse, vbi aduersum eiusmodi prophetas nos pramonuerat adiecit: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Vide iam obsecro loca omnia, vrbes & regiones, vbi Lutheri secta dominium obtinet, qui ibi fructus existant, illi scilicet omnes, quos Apostolus ad Galatas, fructus carnis appellat dicens: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: Hi igitur fructus sunt, qui ex vestri pseudanglij architecto cunctisq; illius sectatoribus exorientur.*

Oues Christi quænam veras efficiant.  
Matt. 7

Lutheri & suorum sectatorum opus quod.  
Rom. 16

Matt. 7.

Gala. 5.

Cur monachi singulari sese habitu contegant.

Caput II.

Georgius miles.

3 Reg. 17.  
4 Reg. 1.  
Matt. 5. 11.  
Marc. 1.

Ioan. 19.  
Luc. 2.

**H**AC ex causa lupos vos dici conuenit quod specialem quandam desertis habitum, velut sancti quidam, cum tamen æque sitis homines, ut ceteri, imò sapius etiā peiores ceteris. *MONACHVS*. Si propterea lupi sumus, quod dissectas & lacinosas non gerimus vestes, uti vos facitis & alij quidam, necesse est etiam Heliam, Helizeum, & prophetas alios, itemq; Romini Baptistam Ioannem lupos fuisse, ut qui minime vulgari vti sint indumenti genere, & ab alijs sese seiuixerint. Imò verò etiam Christus Optimus Maximus, quod nephas sit dicere, lupus erit vestro quidem iudicio, si reperis in terras subucula petulāter implicata & aureis filis supernè intexta, aut veste quæ consuetas & laqueis circumdatis limbis manicas non habeat mi-